

* P * V * I * S *

* 1 * 6 * 2 4 *

- I. Paraphrasis Psalmi LXXXII M. Zacharia Wennebergeri
 II. Psalmi Davidici 121. 91. 125. 127. Gregorij Bersmanni.
 III. Tracte de Christo recente nato Academiæ Flemingi.
 IV. Lessius Cesareus Cyriaci Herdesiani super obitum Rudolphi Imperatoris
 V. Soteria Dr. Johanni Georgio Saxonum Ducis Academiae Wittebergensis.
 VI. Votivus aplausus Dr. Iac. Principi Anhaltino administrationem principatus Cisalpini
 suscipiti Federici Theodori Gorlicio.
 VII. Teos querens evagia ad Dr. Augustum Principem Anhaltinum & homagii causa 5.
 vestan regesum M. Petri à Gera.
 X. Epitulam M. Marci Federici Wendelinij XXII. Gratiarum Actio M. Johannis Coppenij
 ad Dr. Augustum Ducem Bruno vicearem.
 c. Epitulam ad eundem principem fari
 Cremeri.
 Eloqua Gregorij Bersmanni Rudolphi Princeps
 ad Anhaltino sponte scripta.
 XI. Teos quo r# besi Dr. Rudolphi Princeps Anhal-
 tino scripta à Collegi scolæ Servestate.
 XII. Epicedium in obitum Dr. Rudolphi Princeps an-
 alkni Abrahami Cremeri.
 XIII. Strena Poëtica Christophori Heroldi.
 XIV. Eurela Saravtonis et Bionae.
 XV. Gregorij Bersmanni in pontem siblicum
 deputensem carmen ex quo quasimodo.
 XVI. Sacrae Flenzgi puerulum scholasticum.
 XVII. Abrahami Vtrici Diagraphe Laboris
 Scholastici.
 XVIII. Coronis College Disputationis et Oratio
 imposita.
 XIX. Typus Depositionis Sc. Solastiae Fi-
 derici Widebrenni.
 XX. Balla et amuletum M. Blocy.
 CI. Oda honeribus Dr. Danielis Blutschadi.
 Dr. Johanni Christofori Hartmanni. Dr.
 Philippi Neudlingeri. Dr. Mathei Coleri
 Doctorum scripta.
- XXII. Declaratio M. Johannis Coppenij
 post Magisterij actum pronunciata.
 XXIII. Exequias ex cor Cerevisie Servesta
 ne Danieli Berckneri.
 XXIV. Declaratio à Catennijs.
 XXV. Germania ad Principes epistola Act:
 Mattheo Pratorio.
 XXVI. Votum Schola Vesaliensis.
 XXVII. Teos epurifica ad Dr. Johanna Hünin.
 XXVIII. In honorem Magisterij Dr. Johanni Quae
 XXIX. Triginta faverum M. Christiani Galli
 Italo-Saxonis.
 XXX. Adamo for Weroy Federici Stew-
 ni, Ernesti Wulstorfij.
 XXXI. Eorundem
 XXXII. Juvenis 37. M. Theophilii Caiiser.
 XXXIII. Johannis Cremeri.
 XXXIV. In honorem Notariorum Valen-
 ti Gelani.
 XXXV. Strena arithmetica quadrifida
 Christofori Heroldi.
 XXXVI. In adestas Dr. Wolfgangi Strelagi
 A. V. D. E. 15
 XXXVII. Epistola Dr. Johanni Thilo
 Nicolai Nay

XXXIX. Neptij Wolfgangi à Bergen.
 XXXIX. Valerij Ruyngeri
 XL. Martini Copperi Ned. S.
 XLI. Abramani Viethaleri
 XLII. Henningi Grossi Juniori
 XLIII. Joannis Sedory.
 XLIV. M. Johannis Copeny.
 XLV. Valentini Gelani.
 XLVI. Fiderici Hanely.
 XLVII. Ferentia Vian.
 XLIX. Andrei Josal.
 L. Joannis Riewitteri.
 LI. M. Georgi Theodori.
 LII. Georgi Buresardi.
 LIII. Dr. M. Beopoli Bodeni.
 LIV. Joannis Bergii S.S. Theologiae D.
 LV. Michaelis Tomei. F. V. D.
 LX. Joannis Blaemanni.
 LXI. Chüttai Augusti Charii.
 LXII. Dr. Joannis Bergii S. Theologie D.
 LXIII. Iusdem Theologie D.
 LXIV. M. Jacobi Martini.
 LXV. Georgij von Dungen.
 LXVI. Dr. Peter Dommerguesius.
 LXVII. Dr. Christiani Spiegelj.
 LXVIII. M. Simoni Duligoni.
 LXIX. Dr. Fiderici Grauby.
 LXV. Dr. Joannis Fleinemann.
 LXVII. Jacobus Fiderici.
 LXVIII. Joannis Schrotteri.
 LXIX. M. Georgij Endelincij.
 LX. Fabriæ Remschneideri.
 LXX. Joanno Nutji.
 LXXI. Ejusdem.
 LXXII. Dr. Christopori Metelli.
 LXXIII. Ejusdem.

LXX. Ejusdem.
 LXXI. Ejusdem.
 LXXII. Dr. Antoni Ben. Bon.
 LXXIII. M. Genestii Wulstorpj.
 LXXIV. Anarek Nary.
 LXXV. Hymenius in latrone Dr. M. de
 LXXVI. H. Wulstorpj.
 LXXVII. Dr. Henrici de Bostell.
 LXXVIII. Fiderici Ory Cor.
 LXXIX. Yasaria Fingerlingij.
 LXXX. Dr. Ambrosij Lepsi.
 LXXXI. Martinus Milacij.
 LXXXII. Curadi Gersoldi.
 LXXXIII. Dr. Joannus Meuron.
 LXXXIV. M. Felice Hassbadj.
 LXXXV. Abramani Crencii.
 LXXXVI. Defensio Joannis Crenci.
 XC. Dr. Vic. D.
 XCII. In obitum Christopori Wagni.
 XCIII. Coilegiij M. Henrici
 Kitechij.
 XCIV. Dr. Valerij Ruyngeri.

EX LIBRIS
 ILLUSTRISSIMI VIRI;
 DN. DAN. LVDOOLPHI
 LIB. BAR. DE DANCKELMANN,
 S. REG. MAL. BORVSS. CONSILIARI
 STATVS INTIMI, cetera,
 BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
 TESTAMENTO RELICTIS.





PARAPHRASIS PSALMI
LXXXII. CARMINE
Heroico expressa,

ET

ILLUSTRIS-

SIMO, VETUSTISSIMÆ
QUE STIRPIS PRINCIPI AC DO-
mino , Dn. Augusto, Principi Anhaltino,
Comiti Ascaniæ, Domino Servestæ & Bernburgi,Do-
mino suo clementissimo, adeunti gubernationem
Dynastæ Plotzavianæ , gratulationis
& subjectionis testificandæ gra-
tiæ nuncupata

à *Hausen* 1611.

M. ZACHARIA VVENNEME
GERO ASCANIO, EJUSDEM ECCLE-
SIA Pastore.

SERVESTÆ

Impressa Typis Zachariæ Dörfferi.
Anno 1611.

KENPRER
UNIVERS.
ZV HALLE

PARAPHRASIS

PSALMI LXXXII.

Sse Magistratum jussit Deus atq; ho-
minum rex,
 Parcere subjectis & debellare superbos
Ut sciat, & terrâ normâ constante gu-
Justitiæ. In terris etsi sceptra atq; secures berneret
Huic cessit, solio coeli ipse illustris in alto:
Non tamen imperium certæ sine legis habendū
Ordine principibus mundi, summisq; monachis
Contulit, haud curans quo cives jure fruantur.
Absit ut hæc animus tam perdita sensa recondat:
Nam medium sese dijs inferioribus infert,
Ac justi normam ac æqui moderatur habenas.
Siq; videt quosdam præscriptâ ex lege vagari, &
Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas,
Ludere, non mussat tacitus, captumq; dolorem
Concoquit, ast celsâ sic hos affatur ab aulâ:
Et vos cur tandem sine jure & lege secures

A 2

Colla-

Collatas à me geritis, justiꝝ; nec ullam.
Suscipitis, nostra hæc venerati numina , curam?
Injustum causa vel primâ in sede locatis.
Scilicet in mundo is gazis agrisq; superbit,
Majorumq; amplis titulis incedit onustus,
Stemmaq; ter centum vel ab annis nobile jactat:
Et contra justi munitum casside juris
Deseritis: tenui ille loco sub paupere tecto
Vivit, & oblatâ contentus sorte quiescit.
Quos ego! sed præstat sanam præscribere formā.
Ergo, quot in terris vestra ex me sceptræ tenetis,
Audite atq; animis excepto nemine adeste:
Dicite jus, gladioq; acrifrenate merentes,
Justitiæq; viros à culpa absolvite prompti,
Viꝝ; suis fundis trusos, laribusq; paternis
Exutos, miserè & certâ sine sede vagantes
Sistite in integrum, viduis estote patroni,
Pupillisq; , orbis & consilio atq; parente,
Et prædæ expositis: (Tutores nempe maligni
Sic tractant, & opes curant à patre relictas
Desertæ soboli, ut res ex quincunce clientum
His cadat in loculos: quia mens non conscientia re-

cti est

Tali-



Talibus , haud pietas nostræ & reverentia
dextræ .)

Ergo illos curate , manu vestraq; juvate:
Vel tales propter vos isto in honore locavi.
Si quibus est angusta domi res , curtaq; messis ,
Sæpius ut Solis prius intueantur obortum
Lumen , quām videant in mensa paupere panem :
Eripite hos manibus prensantibus obvia quævis ,
Eripite hos , inquam , miseros , rerum omnium
egentes ,

Atq; gregis tortos scelerati rumpite nexus ,
Solvite stringentes parte omnia pectora nodos ,
Discite justitiam moniti , nec temnите Numen ,
Nil nisi justa probans , & nil nisi justa requirens ,
Vindicibusq; sibi debent contraria flammis .
Quid vero , licet hæc verbis vel pluribus effer ,
Efficio ? purè canitur nam fabula surdis .
Nil horum nostis , cupitis nil nosse profani ,
Ergò nec has partes curare impensiùs est mens .
Injustus justusq; agitur discrimine nullo :
Figitis & leges pretio , pretioq; refixas
Tollitis , arbitrio moderantes omnia cœco :

At vos pro scelere hoc , pro tamq; immanibus
ausis

Tempore finito poenas ex jure luetis.
Sceptra evertentur , decus evanescet avitum,
Fundamenta ruent terræ , quævisq; fathiscent
Limina,nec stabunt majorū in honore nepotes.
Juris enim ruptis omni in regione repaglis,
Siq; pari currit jus atq; injuria passu:
Nil salvi inter tunc homines saniq; relictum est.
Ergo agite & verbis nostris advertite mentem:
Ipse ego , Dij , dixi , vos omnes , omnibus , estis ,
Quidq; hac voce velim , vestraq; à parte requirā,
Discite , si discendi animus , nec ferrea mens est:
Non vos arbitrio patrum aut virtute tenetis
Imperium in populos . Ego vos , Ego nominis hu-
Esse dedi socios , Dij terræ in finibus estis , (jus
Me statuente , satu proles vos edita nostro
Dicimini , haud alio vos quisquam nomine dicat.
Ergo meum imperium prostrati agnoscite , jusq;
Discite , mando , meum , mentē geniumq; referre
Nostrum itidē , premere & sancte vestigia nostra.
Ipse meo nutu cœlum solemq; guberno ,
Terrasq; tractusq; maris , tum quicquid in illis ,
Et



Et mea cura, favens humanis' provida rebus,
Sic agit , ut nullis terrarum finibus absit :
Sic vos , quas terras vestrâ in ditione tenetis ,
Respicite , & populum cognoscere discite ve-
strum:

Et quid quisq; ferat , quid possit , ferre recuset ,
Volvite. Sit notus vobis & Crœsus & Irus ,
Respectu careat fidoq; juvamine neuter.
Ipse beavi homines naturæ legibus omnes ,
His omnes jubeo parentia dedere corda ,
Et facio reprobos meritas incurrere pœnas :
In terris sic Dij , decorati nomine nostro ,
Et leges vestrîs & provida jura feratis
Subjectis , ita quæ sibi sint facienda per omnem
Et fugienda scient instructo pectore vitam ,
Atq; bonis tribuatur honos , terrorq; superbis
Intonet extremam post tristia tormenta mortem .
Nō , quoties homines peccât , mea fulmina mitto
Differo sed pœnas , cupiens resipiscere cunctos ,
Ut meliore viâ discant traducere vitam :
Sic nec vos iræ semper laxetis habenas ,
Jure nec & summo , quod summa injuria recte
Dicitur , in quosvis nullo discrimine agatis.

Sit



Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox:
Non ego personæ intuitu jus penso vel æquum.
Inustum reproto pravum, seu regnet in arce,
Sive habitet vili congestum cespite culmen,
Atq; utrumq; , nisi resipiscat , mitto sub Or-
cum.
Sic vestri officij memores etiam esse sciatis;
Judicium non ferre viri ex diademe summi,
Æquales qui sunt facti ac bonitate probati,
Æquales patrocinio digniꝝ putentur:
Æquales qui sunt facti improbitate maligni,
Æquales etiam in pœnis habeantur acerbis.
Non etenim par est , scelus ut quos uniiit unum;
Justitiæ norma in pœnis disjungat eosdem.
Flos justi vernet, cùm judiciaria vobis
Sella sedenda venit, validis non jure retorto
Det veniam corvis , vexet censura columbas.
Si sunt , qui precibus superant fastigia cœli,
Supplicibusq; orant votis , & numen adorant
Hoc nostrum: facilis , nec clausis auribus, assum:
Quin prius audio , quàm mens est orare , prius-
Votaq; finierint cessantibus annuo verbis:

Sic



Sic & supplicibus vestrorum attendite votis,
Quam primūm fieri licet hoc , non usq; morari
Collibeat , longasq; moras connectere , sumitus
Accumulare graves, iter & duplicare molestum.
Absit ut aspectu vestro amoveatis egentes ,
Auditū indignos atq; auxiliaribus armis.
Idcircò tales vestrīs estote regentes
Subjectis , qualem vestrū regem esse velitis.
Si sortem video miseram tristemq; meorum
Nec validas , quīs sustineant, emergere , vires:
Non tergum oberto , talemq; nec horreo sor-
tem ,
Quin potiūs facilis tam tristibus advolo rebus ,
Me socium jungo , ac oneris mihi feligo partem ,
Ferre juvo , mihi ne credentia corda labascant:
Sic vestrū est , patrio miserari pectore casus
Adversos , dubias res vestrorumq; clientum
Attritas inopumq; vices , ac grandine læsos ,
Igneq; vel tumidæ spoliatos fluctibus undæ .
Ne ne claudite , mando , manus , extendite vestrās
Quin potiūs facili promptoq; ex pectore palmas ,
Præsidio vestro , vestro & tutamine fretis.
Si tentare meos animus fert atq; paternis

B

Subij-

Hec



Subjecere hos ferulis, hoc pacto scilicet illis
Non noceo; at doceo, & rebus melioribus apto:
Nam sic judicium discunt nostrumq; verentur,
Innatumq; malum commissæ & labis adhæsum,
Multiplicisq; mali norunt agnoscere fontem,
Exercentq; fidem, mea quam promissa requi-
runt,

Et patiēter onus tolerant, mea numina poscunt,
In lacrymisq; modū servant, minimeq; quiescūt
In precibus: quin lātantur cùm tristia circum
Undiq; stant, spe non dubiâ sua danina levantes:
Sic & vestrorum jubeo cervicibus aptam,
Non nimiam, non majoremq; imponere molenti
Viribus: Hic quod ferre potest; fortè ille recusat.
Ergo nōdum, patriumq; animū servare sciatis,
Pastorum est tondere pecus, deglubere summa
Esse solet pestis, primâ hoc vice commoda præ-
stat:

Mox sed in interitū res horum coniicit omnes:
Ipse pater vobis ego sum, gavisus & esse
Percupio: patriæ patres vos atq; patronos
Constituo, patriis scite ergo affectibus uti.
Aurea pax pergrata mihi & concordia cordie est,
Pacificos animos mea sancta habitacula dico :

Hæc

Hæc etiam vobis sit commendata monarchis:
Pace nihil melius, nil pace est dulcior unquam,
Pace meum numen colitur, modus atq; colendi
Ex verbi normâ nunquam fallente docetur.
Pace vigent artes, ac docta Lycea coluntur,
Congressusq; suos credentum Ecclesia cogit,
Sistere me cui præsentem mea summa voluptas.
Pace coluntur agri, sua semina parturit arbos,
Prata virent, & oves lætæ sua pabula quærunt,
Inviolatus abit thoros, innuba virgo tuetur
Dulce pudicitia decus, & cum laude corollas
Gestat, & in licitum defert pro tempore lectum.
Nulla salus bello, cuncti ergo quærite pacem,
Pax, injusta licet; bello tamen anteferenda est
Vel summis causis justo: Pax una triumphis
Innumeris potior; nec singula commoda dico.
Quæ promitto meis, studio hæc & servo fidelis,
Promissi q; tenax sum, fallere nescius unquam:
Sic quod subiectis placuit pronitttere vestris
Juratae fidei sese obstringentibus ultrò
Principibus vobis, cùm sceptra adiustis avita:
Hoc etiam memori servate, recondite mente.

B 2

Non



Non auri montes blandis ostendite verbis,
Et mox in nigri naturam vertite ferri.
Næ, qui pollicitis dives fuit, hunc & oportet
Promissæ fidei totâ vitâ esse tenacem,
Isq; meum ingenium feliciter exprimit unus.
Hæc & multa hujus generis tam nomine sancto
Exprimo, quando Deos ac ex me nuncupo na-
tos.

Non alioq; loco vos, hæc mea sensa tenentes,
Dum vestram in terris per multa pericula vitam
Ducitis, & gelidæ post funera mortis, habebo.
Si temsisse placet sancta hæc præcepta, furorq;
Præcipitat mentem, qui cuncta evertat honesta,
Et moderata ruat, sævæq; tyrannidis ausa
Excitet, haud meliore loco tunc stabitis omnes,
Infima quæm fex illa hominum, quæ mancipij
instar

Acta, subacta fuit prono quæ pectore vobis:
Ad generum Cereris cum cæde & sanguine tales
Scandetis reges & tristi morte tyranni.
At tu, magne Deus, Divum pater atq; hominum
Rex,
Surge age, rumpe moras, terræ moderareq; fre-
na. Te

Te penes est unum vasti custodia mundi,
Et per te reges, certo sed limite, regnant.
Da quæso hunc animum ducibus, magnisq; mo-

narchis,

A te collatum decus, imperijq; coronam,
Ut sanctè tractent, ut te vereantur & unum,
Æterno ut portas referent & culmina regi;
Oscula ei figant, vestigia pressa sequantur
A te, præscriptoq; tuo. Sic vasa salutis
Æternæ fuerint, non noxia pondera terræ,
Sic laus, sic & honos nomenq; manebit eorum,
Et tandem æternâ requie vitaq; fruentur.



ODA GERMANICA,

HERR Jesu Christ / Ich weis gar wol / das
ich ein mal muss sterben /

Elegiaco carmine expressa.

Onstat, & eternâ positum est hoc lege:
statuto

Ex hac migrandum est tempore valle
mibi.

B 3

Sed



Sed quo migrandum mihi sit vel mense vel anno,
Fata reservârunt id supera omne sibi;
Nec modus aut ratio mihi constat, quâ sit eundum:
Hæc soli nota est, Christe benigne, tibi:
Nempe dies omnes calamo æternante notâsti,
Illorum primus quâm fuit antè dies.
Sed quia (nosti quidem) tu pectoris una volu-
ptas,
Unaq; spes animi præsidiumq; mei,
Idq; haua naturæ & rationis viribus ullis
Contigit, ast statu, Christe, agitant te tuo:
Te supplex oro, gemituq; ac ore fatigo,
Hoc mihi sit constans perpetuumq; bonum.
Tu me purgâsti peccati à labe nefandâ,
Pacastiq; iræ fulmina dira patris:
Justitiaq; mihi vestemq; decusq; parasti,
Te per adoptivus filius asto patri:
Sumq; hæres regni tempus durantis in omne,
Triste ubi nil superest, gaudia summa vigent.
Ate contritum est collumq; caputq; Draconis,
Ablatum æternae mortis itemq; jugum:
Labe meâ morior, prima inq; elementa resolvor:
Vita mihi, tempus quando redibit, erit.

Scili.



Scilicet ex terra, fiat uredeunte, resurgam,
Et per te caeli regna beat a colam.
Te supplex iterum gemitusq; ac ore fatigo;
Hoc mihi sit constans perpetuumq; bonum.
Non alii sensus mentemq; animumq; fatigent,
In tali, fac, sim, stem, mane amq; fide,
Ex mundo hoc donec superas concendat in oras,
Orta polo mea mens associata tibi:
Te supplex iterum per te & tua vulnera posco,
Da placido vitam claudere fine meam,
Hanc animam fragili viventem in corpore, trada
In dextram sanus mente animoq; tuam.
At q; fide vera lecto vel stramine postus,
Ex valle hac misera, morte vocante ferar.
Si aliter placeat: si lecto in rure vel ora
Ignota vita meta adeunda meae:
Sive in aquis tumidis misero, seu peste vel armis,
Aut occumbendum quaratione mihi:
Præsidio fidei teq; & tua sancta tuentis
Vulnera, fac, moriar, nomine itemq; tuo.
Non meatunc, tua sed frat, bone Christe, voluntas,
Nam tuus in vita, & lumine cassus ero.

Si



Si tamen ob fragiles infirmo in corpore vires
Et fierent cerebri turbida sensa mei,
Nudus ut in plumis miser ire jacere viderer,
Et mens distortos funderet ore sonos:
Hanc mihi ne culpam statuas, si lubrica fungi
Mens non officio cum ratione queat:
Da, pie Christe, mibi pacato claudere vitam,
Immuni à tristi tortamine, fine meam.
Des, anima hæc placide cognata habitacula relin-
quat,

Utg₃ oleo lampas deficiente perit,
In te vulneribusq₃ tuis ac morte recumbens,
Et certam vita pñem melioris alens.
Verum ut præscribam vita finemq₃ modumq₃,
Absit, in arbitrio sint sita cuncta tuo.
Da faciles motus: patienter ferre quod urget,
Et verbi normam corde pavente sequi.
Tu vita princeps, tibi me servansq₃ potenter
Sciheris, ex vita qua ratione vocer.
Ergo tuo me præsidio dextræq₃ benignæ
Iam commendatum corpore, mente sinas.
Nam mihi tu vivo atq₃ ex angui nobile lucrum es:
Sum tuus, atq₃ tuus morte peremptus, ero.

Tempus

Tempus erit, quando aligerum comitante cetera,
và,

In clarâ cœli nube reversus eris:
Voceq; terrai gelidos penetrante per artus
Excibis tumulis corpora queq; suis.

Tunc etiam mea mens ad conscientia redibit,
Tunc cœli aeternâ luce decorus ero.

Et tecum in patriam seclorum in secula manentem
Ibo, triumphata & morte beatus agam.

Tunc mihi, tunc dabitur ecclorum accumbere men-
sura, sis, si posses.

Æterna tecum letitiaq; frui.

F. 21. Febr. Anno

Da Jesu, faciam non nisi ingrata tibi.



PRECES AD CHRI- TUM.

Christe, Dei æterno patris qui nasceris ortu,
Jesuq; venis de genitrice puer:

C Sis

Sis mihi quæso caput, fragile hoc ne desere mem-
brum.

Tu mihi sis Vitis, sim tibi Palmae ego.
Sis mihi Dux, mihi Lux, mihi Rex, mihi Lex,
mihi Pax sis

Et Fax, ad cœlum quæ mihi monstret iter.

Tu mihi si Caput es, teneo fastigia cœli,

Si Vitis; vitæ succum etiam inde traho.

Te Duce non erro, fugiunt tē nubila Luce,

Te mihi Rege tegor, te mihi Lege regor.

Te mihi Pace fruor placati pace parentis,

Et Face te cœli in tramite tutus eo.

Ergò, quod octuplici signas mihi nomine, sis re-

Fax, Pax, Lex, Rex, Lux, cum Duce, Vite,

Caput.

F I N I S.



Id 4206.
80

ULB Halle
004 167 287

3




f
56

+80
SIE. 18 u. 25 nicht in PICA,
da Hschr.

E0-By
Jul. 01

24 VD 17 MK



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



PARAPHRASIS PSALMI
LXXXII. CARMINE
Heroico expressa,

ET

ILLUSTRIS-

SIMO, VETUSTISSIMÆ
QUE STIRPIS PRINCIPI AC DO-
mino , Dn. AUGUSTO, Principi Anhaltino ,
Comiti Ascaniæ, Domino Servestæ & Bernburgi,Do-
mino suo clementissimo,adeunti gubernationem
Dynastiæ Plotzczavianæ , gratulationis
& subjectionis testificandæ gra-
tiâ nuncupata,

à M. ZACHARIA

V VENNEME
GERO ASCANIO, E JUSDEM ECCL-
SIE Pastore.

SERVESTÆ

Impressa Typis Zachariæ Dörffferi.

Anno 1611.